



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 45. Solemne Jubilæum Romæ celebratum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. triarchalem Sedem vix triennium & paulo amplius tenuisset, iniquis artibus Raphaelis Serviæ Monachi inde pulsus est; Hic enim pro solo ingressu quingentos aureos nonnullis Turcici Imperii Proceribus, ac quotannis pro tributo duo aureorum millia pollicitus erat. Hanc conditionem Mahometes lætanter acceptat, moxque Simeonem Sede dejici jubet, atque in ejus locum Raphaelem subrogat, quanquam hic rudis, & linguæ græcæ penitus ignarus, adeo ebrietati ac crapulæ deditus esset, ut nunquam sobrius, semper temulentus a vino conspiceretur. Unde cum omnium in se odium concitasset, paucissimi Episcopi inaugurationi ejus intererant, & Sacerdotes non nisi metu coacti in sacris obeundis ei communicare sustinuerunt. Transacto tandem uno Sedis anno, cum promissum tributum, unde solveret, non haberet, coniectus in carcerem est, ex quo prodeundi facultatem unice obtinebat, ut stipem pro tributi solutione ostiatim mendicare posset, catenna ferrea, & Turcarum satellitio cinctus. Brevi tamen indignus hic Patriarcha misere vitam exiit.

§. XLV.

Solemne Jubilæum Romæ celebratum.

In vigilia Dominicæ Nativitatis Romæ datum

datum est initium sacro anno, cujus festiuitatem summus Pontifex ad annum Christi millesimum quadringentesimum septuagesimum quintum indixit, & imposterum semper post emensum viginti quinque annorum spatium celebrari voluit. Fidelium, qui Romam ad consequendam peccatorum veniam concurrere solent, longe major fuisset frequentia, nisi Francia, Anglia, Hispania, Hungaria, & Polonia bello flagrascent.

Sæcul. XV.
A.C. 1474.

Ciacon. &
Onuphr. in
Sixto IV.
Victorel. in
Jubil. 7.

§. XLVI.

Equus phaleratus in tributum pro Regno Neapolis Pontifici oblatus.

Inter omnes, qui Romam petebant, emittit Ferdinandus Neapolis Rex, cui Pontifex suam ut demonstraret benevolentiam, annum censum Ecclesiæ Romanæ debitum remisit, ea tamen lege, ut ad singulos annos album offerret *Asturconem*, ita vocant equum album phaleris, ceterisque instrumentis ornatum, & hunc quidem daret tributum nomine, quo hujus Regni dominium Sedi Apostolicæ beneficiario jure proprium acceptasse profiteretur. Hæc solemnitas ad hunc usque diem celebrari solet, vocaturque a Romanis *la China*, seu equi phalerati donatio, quem in vigilia, aut ipso die festo SS. Apostolorum Petri & Pauli